


*Spatulata* vocas folia ; quæ nomenclatura maximè mihi arridet, et ego eam semper retinebo, et in praxim adhibebo. Pro quâ tibi grates maximas agam.

*Sida foliis palmatis, laciniis lanceolatis*. Velles potiùs *semilanceolatis*; ego verò hoc retineo, cùm laciniarum basis semper debeat coalescere in folio palmato, aliàs esset digitatum; si quæ dicerem *semilanceolatis*, potuisset æquè æquivocum evadere, cùm *semi* istud posset æquè sumi secundùm longitudinem ac secundùm latitudinem.



*Reniforme*, optimum nomen, cur non adscripserim *Asaro* à me rationem quæris. R. *Asari* foliorum figura, dùm liberè crescit, folium magis reniforme est quàm dùm explicatur. Sed tamen semper dixissem *Asarum* gaudere foliis reniformibus, ni *Asarum Canadense* repugnâset, quòd gaudet omninò figurâ cordatâ, à tergo mucronatâ, quæ figura nullo modo cum reniformi associari potest, optimè autem cum cordatâ. Quis dixerit utrùm planta Canadensis sit magis naturalis, vel quæ foliorum figura magis sit propria? Debui habere nomen quod non repugnaret alterutri; figura cordis latius sumi potest quàm renis.